

853

P. Gue. THESES  
DE  
IN IVS VOCANDO,  
ET DE  
EDENDO:

SVMPTÆ EX TITT. D. ET C.  
eiusdem argumenti.

EAS PRÆSIDE  
HVB. GIPHANIO IVRISCONSVLTO,  
&  
ANTECESSORE,  
IOHANNES MOLITOR F. NORICVS  
disputando tuebitur, Idibus Martijs,  
ANNO  
CIC. CI. XIC.



AL TORPHII,  
TYPIS CHRISTOPHORI LOCHNERI,  
& Iohann. Hofmanni, Typographorum  
Academicorum.

Leopoldus  
8. 20. 16.



# THESES DE IN IVS VOCANDO, ET DE EDENDO.

## PROPOSITION.



MNIVM Actionum, sine quibus experiri in judicio nemo potest, principium, ab ius Vocatione incipit. Utique enim in primis adversarius in Ius Vocandus est, in primo Iudicio. Causa enim appellationis *vocationis* agipotest, ut nova in Ius Vocatione, & Editione, & Litis contestatione ibi non sit opus.

### I.

Adeo autem necessaria est in Ius Vocatio, ut ne rescripto quidem Principis tolli possit. Est enim juri naturae consentaneum, ne quis inaudita causa condemnetur, quod & XII. tab. caustum fuit.

Et tamen Ioannes Afinius Pragmaticus satis notus, commemorat 145. casus, in quibus Citatio, ita enim vocat, non sit necessaria. Confundit scilicet in Ius Vocationem cum Citatione, & cum Praesentia. nam in plerisque ~~tab~~ibus coram Magistratu vel à Magistratu peragendis, adhiberi debent hi, quos causa vel actus continet. Sed in Ius Vocatio ab illis plurimum differt.

### II.

Olim in Ius Vocatione prior erat Actionis Editio. Puto & Vadimonium ante in Ius Vocationem promitti solitum. Id enim indicat Cic. pro Quinto: idq; eo consilio, ut privatim, si posset, res transigeretur, sine fraude. Impetratio autem, & Denunciatio Actionis, videntur posteriores fuisse.



Iure Iustiniano Vadimonij de quo & infra, Impetrat, & De-  
nunc, nullus est usus: & Vocatio atque Editio eodem tempo-  
re fieri debent.

I V.

Nihil autem interest, in Ius, an in Iudicium Vocare dicas,  
quamvis in Iure, & in Iudicio aliquid fieri, sæpe differant, pler-  
unq; Vocandi verbum Romani hac in re imitati sunt à Græ-  
cis, qui καλεῖσθαι dicunt. Vnde & Calare vetus verbū Latinum.  
Impp. posteriores interduim Convenire, & Admonere dicunt.  
Pragmatici, & Glossogr. pro eo abutuntur verbo Citare: quo  
tamen Veteres uti solent, non de hac in Ius Vocatione, sed de  
Evocatione jussū Magistratus facta.

V.

Vocat enim privatus, Citat Magistratus, 2. Vocatur  
adversarius corām, Citatur absens, 3. Vocatio fit voce priva-  
ti, hodieq; Executoris Libello, aut Denunciatione aut Litte-  
ris: quamquam propriè Citari voce Praeconis, aut Edicto: nam  
litteris, Evocari dicimus: 4. Vocatio hæc Iuris tantum expe-  
riundi in Iudicio, Citatio multis aliis, & de Causis, & in Actio-  
nibus fieri solet. 5. Vocatur solus adversarius, Citantur &  
alii, ut testes. 6. Vocatio fit ante, Citatio quæ in Iudicio, fit  
plerunque post litem contestatam. 7. Vocatio fit semel, Ci-  
tatio sæpius adhiberi, in eodem Actu, potest.

Hæc distinctio, ex rerum, ex verborū, cùm sit verissima, eaq; jam pridem  
à magnis Iurisconsultis indicata: existunt tamen hodie nonnulli,  
qui falsis auctoritatibus adductis, confusionem suorum confirma-  
re conentur.

V I.

Neque verò Vocare hic est, trahere, velducere, ut & No-  
nius & recentiores nonnulli putant: id enim, cùm aliis, tūm  
verbo illo καλεῖσθαι refellitur.

V II.

Fateor quidem olim fuisse ex Vocatis, qui duci possent:  
Sed ex eo non efficitur, Vocare idem hīc valere, quod ducere.

V III.

Nam ex XII. tab. & Edict. Prætorum trimembris erat  
distinctio.

distinctio. Alij namq; Vocari poterant, sed non duci, ut omnes  
feminæ puberes, & honeste: ut viri, qui Vocantem sequeretur.  
Alij neq; duci neq; Vocari poterant, de quibus fuit Edictum,  
Q VI NEQ; VE SEQ; VANT VR NEQ; VE DVC ANT VR. Erant denique alii contrā, qui & Vocari poterant, & duci,  
nempe illi, de quibus Lex illa XII. tab. Si CALVITVR, PE-  
DE MVE STRVIT, MANVM ENDO IACITO.

I X.

Nostro iure nemo duci potest invitus, ne ab Executore  
quidem. Nov. 53. Et bimembbris modo est distinctio: Alij enim  
Vocari possunt, Alii non possunt, & horum quidam omnino  
non possunt, alii non nisi permissu Prætoris: Ut reipsa jam  
quoque trimembris videatur esse partitio.

X.

In Ius igitur Vocare est, Iuris sui, in Iudicio experiundi,  
causa ad eum, qui Iurisdictionem, sive propriam, sive manda-  
tam habet, die justo, per Executorem, sive Viatorem, vocare  
adversarium, dato ei simul Conventionis Libello.

X I.

Neque feriatis diebus Vocari quis plerunque potest in-  
vitus, quamvis Pragmatici contendant, semper posse. Neque  
Libellum dare Magistratui, aut Principi adversus aliquem,  
est in Ius Vocare: ut neque in Ius Vocare hīc dicitur, qui ut se  
defendat, adversarium a Magistratu vocari postulat.

X II.

Idem est de eo dicendum, qui licet experiundi causa ad-  
versarium, non ad Magistratum, sive eum qui Iurisdictionem  
habet, sed ad Pedaneum Iudicem vocat, ad quem ne venire  
quidem vocatus tenetur. Quinetiam ad omnē Magistratum  
non recte quis in Ius vocatur, sed ad eum duntaxat, qui voca-  
tionem habet, ut veteres loquuntur, ac pro Tribunalī sedet.

Qlim Magistratus alij vocatioem habebant, ut Consules & ceteri qui  
Imperium: alij præsionem solam, ut Tribuni Pl. alij neutrum ut  
Questores. Agell. lib. 13. c. 12. Qæ distinctio Iuri fortasse Ju-  
stiniano consentanea est.

X III.

Duobus autem modis fieri potest Vocatio: Alia enim est vulgaris, quammodo descripsimus, Cùm quis adversarium suum, adito, aut etiam non adito priùs Iudice, per Executorem (olim per se ipse) in Iudicium vocat. Alia principalis, ut ita dicam, cùm quis Principi preces offert, à quo postea iussio ad Iudicem, & ad Reum procedat.

X IV.

Videtur enim hodieç in arbitrio esse Actoris, adire aut non adire priùs Iudicem, quam adversarium in Ius vocet: cùm nullum de adeundo extet præceptum.

X V.

Quare quod Pragmatici vulgojactant, in Ius Vocationis tria esse, ut ipsi loquuntur, extrema, Commissionem, hoc est, mandatum Iudicis, ipsam Vocationem, sive ut loquuntur, Executionem Commissionis, & Relationem, seu Renunciationem ab Executore Iudici faciendam, moribus quidem est receptum, sed Iuri & Legibus non satis consentaneum: in quo nulla aut Mandati, aut Renunciationis mentio.

X VI.

Iudem Dd. & sex quæ vocant Requisita ponunt, ut necessaria ad Vocationem litteris, aut scripto faciendam. 1. nomen Iudicis, 2. nomen Rei, 3. nomen Actoris, 4. Causam, 5. Locum, 6. Diem.

X VII.

Ecce autem quam multa h̄c peccentur! Primo enim Cittatio quidem, aut Evocatio, à Magistratu Litteris fieri potest: in Ius Vocatio non fit Litteris, sed corām, ut & suprā dict. hodie tamen adhibito Libello, non tam Vocationis, quam Editionis causa. 2. Causa ad Editionem potius, quam ad Vocationem pertinet. 3. Vocatio non fit in diem, sed pure: quamvis hodie volenti dentur tacitè à lege X. dies Vocatio, ad deliberandum. 4. Supervacanea quoque est mentio Loci, qui de Iudice satis intelligitur.

X VIII.

Postremò verè necessaria omittuntur: 1. Vocationem per

per Executorem; 2. ad Magistratum non procedentem, sed pro Tribunalii sedente: 3. Vocationem cum Libello fieri.

X IX.

Ex his quoque perspicuum est, quam vitiosa sit Glossogr. divisio Vocationis in Ius, sive, ut ipsi loquuntur, Citationis. Eam enim partiuntur in Verbalem, Realem, Eam quæ Litteris, Edicto, Praeconis voce, sive Tuba, & Campana fiat. Nam primo Prensio nō est in Ius Vocatio, quam Prensionem, Pragmatici barbarè vocant Realem Citationem: Deinde Litteris, Edicto, &c. non fit in Ius Vocatio, sed Citatio, aut Evocatio, ut jam suprā d.

X X.

Omnes autem vocari possunt, qui non prohibentur. Sunt enim qui omnino prohibeantur: sunt alii qui prohibeantur sine venia Prætoris vocari.

X XI.

Omnino prohibentur, 1. Magistratus P. R. major, sive qui Imperium habet. 2. Sacerdos, dum sacra facit. 3. si qui propter loci religionem inde se movere non possunt. 4. equo publico in causa publica transvehens. 5. Iudex dum causam cognoscit. 6. Patronus dum causam agit apud Prætorem. 7. Ducens funus justave mortuo faciens, & quidem hodie ex Nov. 115, per novem dies. 8. comitantes funus. 9. is qui litigandi causa certo loco sisti cogitur. 10. furiosus, 11. infans, 12. puella impubes, alieno juri subjecta.

X XII.

Hac aetate, Magistratus quia ferē sunt perpetui, maxime in regnis, recte in Ius vocari posse videntur.

X XIII.

Sine venia & permisso Prætoris prohibentur generaliter hæ personæ, quibus præstanta est Reverentia, ut sunt: 1. Parentes utriusque sexus in infinitum, etiam Adoptivi, & naturales: mater quoque injusta: Adoptivi autem quam diu durat Adoptio, & nisi filius is vocet, qui Castrense habeat peculium.

peculium. *Huic enim permittitur, sed causa cognita, ut patrem Adoptivum vocet.* Planè Adoptivi parentis parentes impunè in Ius vocari possunt.

X X I V.

II. Patronus, patrona : nec interest suo patronus nomine, an alieno, ut tutorio, vocetur à Liberto, nisi eum Libertus non suo, sed alieno nomine ut tutor vocet. III. Parentes, & liberi Patroni in infinitum, & dati quoque in Adoptionem, ex ijsq; jam clatis suscepti: denique & uxori, & heres patroni, licet extraneus. de marito patronæ dubito.

X X V.

Quod autem quidam hodie putant, maritum ab uxore, doctorem à discipulo, quamvis parentis eum loco veteres habuerint, Dominum à cliente, sive Vasallo non posse, nisi impenetrata priùs venia, vocari : verum non videtur : tūm quia his non tantum debeatur, quantum parentibus & patronis, tūm quia in Iure id nusquam lectum.

X X VI.

Ex priore ordine, sive numero, si quis vocatur, injuriarum agere potest, aliam enīm poenam in eum, qui hos vocārit, non reperio, nisi apud Glossogr.

X X V I I.

Ex altero numero, si quis sine permisso Vocatus fuerit, datur ei Actio in factum : quæ Actio absente patre, filio quoque familiās, à Liberto paterno, in Ius vocato, datur, heredit non datur, neque in heredem. Estq; annua, poenam continens 50. Aureor. quam si libertus in opia nequit exolvere, castigari potest à Praefecto Vrbis. Si tamen eum poeniteat, & Actionem remittat, vel patronus vocatus non venerit, aut si non invitus vocatus sit, poena ei remittitur.

X X I X.

Hujus Iuris de parentibus & patronis, quia Reverentia est causa, eaçq; causa perpetua est, & naturalis : recte eo Iure & Iustiniani, & nostra ætas utitur. Violatur enim haec Reverentia, non modo invitum ducendo, ut olim interdum fiebat,

sed

sed etiam ipso genere Actionis, famosæputa, aut pudorem suggillantis, &c.

XXIX.

Eaçq; nec Rusticitati hīc yenia datur, cui alias parcí sollet, nec sexui.

X X X.

Patroni tamen hunc honorem amittunt, 1. Deportatione, 2. Restitutione natalium Liberti, 3. Prostitutione Libertarum, contra Legem venditionis, 4. Liberto aut Liberta ad iusjurandum adactis, ut Vxorem ducat, aut nubat. Liberi quoque Patroni hunc honorem amittunt, si vel capitis accusarint Libertum paternum, velei causam status moverint.

X X X I.

Non licet quoque ullum de domo sua in Ius Vocare, nisi aditum ad se præstet, aut ex publico conspiciatur. A balneo autem & Theatro, quin liceat, nemo dubitat. Sed de tabernaculo dubitatum fuisse, indicat Quintil.lib.7.cap.9. puto tamen licere, ut ex horto & vinea.

X X X I I.

Planè extrahi è domo sua, quæ tutissimum cuique refugium atque receptaculum est, nemo debet, in causis civilibus. In criminalibus aliud olim receptum.

X X X I I I.

Iam verò rite vocatus, ex quacunque causa, venire debet, etiam ex aliena Iurisdictione.

X X X I V.

Et olim quidem ex XII. tab. SI IN IUS VOCAT, ATQUE EAT, Vocatus sequi statim debebat, aut nisi sequeretur, invitus duci poterat, ut & suprà d. Hodie verò nisi velit, non cogitur statim ire, sed debet tamen statim & Viatori stipulas dare, quas viator postea ab Actore repetat, & vel satis dare, vel nudè, aut juratò cavere Iudicio sisti, intra XX. dies, non enim qualibet injuria est, duci in Ius cum, qui satis idoneum fidejussorem dare paratus sit. Videlur autem hæc satisatio, Iudicio sisti, olim fuisse quoque dicta Vadimonii promissio.

B

Quod si rite vocatus, idemq; ab alio neque exemptus, neque impeditus, non iverit, saltem tempore constituto: is, et iam si non latitet, ex causa tamen multa, pro Iurisdictione Iudicis damnari poterit. Rusticitati namque hic parcitur. Remittitur quoque multa, si nihil intersit Actoris, eo tempore adversarium in Ius non venisse.

Ceterum si latitaverit; siquidem post fidejussorem datum Actor ex edicto missionē in ejus bona impetrare poterit.

Si verò post Cautionem juratoriam, eum Magistratus ab Actore aditus, ut perjurum requirit: & inventum prehendi subere; non invento, diem certum præscribere debet, intra quem, si non venerit, idem Magistratus summatim de causa cognoscit, & Actorem nisi evidens ejus sit Calumnia, mittit in possessionem omnium bonorum, quam tamen re integra, hoc est; ante distractionem, Reus recipiet, si & damna omnia Actori restituat, & satisdet, Iudicio sisti.

Is quoque qui non patitur se in Ius vocari, vel quia domi se contineat, vel quia vagetur, nullo rerum procuratore domi relitto: impunè id ferre non debet: sed poterit Actorus in ejus quoq; bona missionem, ad exemplum Edicti, ut ait Imp. impetrare.

Edictis trinis & peremptorio, hic non recte utuntur Pragmatici, quorum usus modò est in Eremodicio; aut in vera contumacia, hoc est, post litem contestatam. Cujuś Eremodicij, a quo Vadimonii veteris desertio plurimum diffcrebat, poena est amissio litis: & contra verè contumaces lis nihilominus, licet πονομέρως, peragi debet: antè litem contestatam, qua de re nunc agitur, πονομέρως non debet.

Si vocatus non iverit, sed ab alio impeditus: siquidem in ipsa Vocatione exemptus fuerit, datur Actori ex Edicto

Actio in eum qui aut ipse exemerit, aut dolo malo, quò quis eximeretur, fecerit, sive per se sive per alium. quæ actio meram poenam continet, ideoq; si plures deliquerint, singuli in solidum tenentur, quanti ea res, de qua est controversia, æstimata fuerit.

Quæ Actio etiam Calumniatori datur, hoc est, ei Actori, cujus verè non interest: heredi autem ita demum, si ejus interfit. Post annum, aut in heredem, omnino non datur.

Si verò post Vocationem retineatur, sive Reus sive Actor, datur ei ex Edicto, de eo per quem factum, &c. Actio in id quod verè interest, adversus eum qui dolo malo per se aut per alios retinuerit: unius tamen solutio liberat alios, si plures deliquerint. Atque ita hæc Edicta de eximente & retinente, distinguenda, ut recte & Dn. Cujac. admonuit.

Illud h̄c admonendum eum, qui in Ius semel Vocatum, postea ad aliud Iudicium, de eadem re, vocārit, cùm ad id quod interest, Reo teneri, tum causa cadere quantumvis iusta.

Effectus autem in Ius Vocationis, prætermodò expostum, sunt & illi: Ut inducat jus præventionis quod vocant, sive ut Ius revocandi forum impeditat, ut possessorum in mala fide constituat: Ut præscriptionem, longissimi temporis, fortasse & longi, interrumpat: ut ejus omissione Iudicium sit nullum. Vix enim est, ut lis pendere dicenda sit. Lis erim post contestationem, controversia antè dicitur propriè.

Atque hæc de in Ius Vocatione. Nunc de Editione, quâ scilicet Reo Actor speciem futuræ litis demonstrat, plerumque libello, per Executorem reo, dum eum in Ius vocat, oblatu, extra Iudicium, & ab ipso Reo die Editionis in tergo adscripta.

Hæc Editio Actionis summa æquitate nititur. Cùm

enim nemo Actionem instituere cogatur, ideoq; instruere se-  
se, quād diu velit, possit: in Reum autem Iudicium detur  
invitum: æquissimum videtur, eum qui acturus est, edere  
Actionem, ut proinde sciat Reus, utrum cedere, an conten-  
dere ultrâ debeat: & si contendendum putet, veniat instru-  
ctus ad agendum, cognita Actione qua conveniatur.

Iohannes tamen Afinius 80. casus exponit, quibus Libellus non fit ne-  
cessarius, sed confundit ille Iudicia cum Actibus extra judicialibus.  
Ita et de In Ius Vocatione suprà.

#### X L V I I.

De hujus Libelli, qui conventionalis, & Græcē *αιτιολογία*  
dicitur, (sunt enim & alia multa Libellorum genera) forma,  
& operosa, conceptione magnopere laborant Pragmatici.  
Primū Syllogismo eum faciunt similem, cujus & tres sint  
partes, Narratio facti, causa sive medium concludendi, &  
conclusio.

Hodie Pragmaticorum libri referti sunt formulis libellorum, Articulo-  
rum, &c. Quād multa illi de Libello Inepito, Obscuro, Genera-  
li, Alternativo, Incerto; Quād multa de Articulis, quæ pleraq;  
aut sunt aliena, aut pleraq; levia, & inania, de quibus et in libello  
de Divis. Glossogr. dictum.

#### X L I I X.

Sed hæc abusu Iuris Civilis plane aliena sunt, quo Libel-  
lus hic nihil aliud, quād Actionis Editionem continet. Edi-  
tione autem id tantum agitur, ut reus cognoscat, quam Actio-  
nem contra se Actor intendere velit.

#### X L I X.

Facti autem Narratio, non in Actione Edenda, sed in li-  
te contestanda interponi solet. Quæ facti Narratio, & ut ve-  
teres vocant, Causæ conjectio, ab Editione Actionis pluri-  
mū differt.

#### L.

Error de Narratione facti, peperit fortassis & eam quæ-  
tionem, An causa Actionis: & alteram, An nomen Actionis,  
in Libello sit exprimendum. De utrâque valde altercantur  
Interpp. Et causam Actionis quidem in personam, plerique  
exprimen-

exprimendam contendunt, Actionis vero in Rem non item.  
Sic nomen & titulum Actionis, Iure quidem Civili exponen-  
dum ajunt, non vero ex Pontificia decretali, c. dilecti, de Iu-  
dic. Cum in Libello Editionis Actionis contineatur, hoc est,  
demonstratio & admonitio ejusmodi, ex qua Reus intelligat,  
quid Actor ab ipso petat. Id autem sine causa intelligi vix po-  
test, sine nomine, potest. Et tamen Libellus concipi, sive Edi-  
tio Actionis ita fieri, & olim, solet, & hodie debet, ut non tan-  
tum causa, sed etiā species Actionis intelligatur, adscripto die.

#### L I.

Iudem Dd, non contenti his Libelli tribus partibus, octo  
ferè clausulas Libellorum præterea commenti sunt, sæpè &  
imperitiæ, & fraudis velamenta: quarum tamen in Iure ne  
vola quidem, aut vestigium appetit. Eas nos singillatim alio  
in loco refellimus.

#### L II.

Ex eodem capite manavit & Cumulatio, quam vocant,  
Actionum, in Libello, cum duas quis, aut tres actiones simul  
dictat, quod veteres non facile soliti sunt: nisi cum incertum  
est, quæ potius Actio teneat, tūm enim duas dictamus, prote-  
stati, ex altera nos velle consequi, quod nos contingit.

#### L III.

Vtilitas Cumulationis vulgo hæc adfertur, ut uno eo-  
demq; Libello, & Iudicio, multæ simul controversiæ termi-  
nentur honesta sane oratio. Sed neque eum finem adsequun-  
tur, ut res ipsa clamat, Cumulatores: & multis ipsis Iudices in-  
commodis seçq; implicant. Primū fieri non potest quin di-  
versis Actionib. & petitionibus, & Iudicis, & Rei animus di-  
strahatur. Deinde ea est diversarum Actionum conditio sæ-  
pè, ut in una ferè nihil possit Iudex, in altera multum. Præ-  
terea sit interdum, ut pugnantia petantur. Etsi enim multis re-  
gulis, exceptionibus ac distinctionibus conantur ab hoc repu-  
gnantiæ incommodo se expedire, quād feliciter tamen id illis  
succedit, uno exemplo hic libert demonstrare. Si verum licet  
dicere, causa hujus Cumulationis, quam nonnulli cum Actio-  
num concursu non recte confundunt, nulla videtur alia esse,

quam ignorantia veræ Actionis. Dum enim non satis in Iure versati Pragmatici quidam, libellum concipere rogantur, & Actionem propriam & accommodatam non vident: ne aberrent, dictant plures: Vt si non profint singula, multa juvent: aut potius, si non succedit hac, alia tentetur via.

L I V.

Exemplum Cumulationis repugnantium inter se Actionum est hoc, quod possessoriam & petitoriam Actionem, uno eodemq; libello conjungant: quod non modo juri, sed etiam rectæ rationi adversatur, ut eruditè demonstrat Dn. Donellus, ad l. 3. C. de Interd. & explicatum quoq; nuper ad L. naturaliter 12. §. nihil commune. ff. de Acquir. poss.

*Si novam hanc Cumulationum artem nosse quis velit, adeat Glossagr.*

Bart. ad l. 3. C. de Edendo, qui præter ceteros eam rem longo tractatu explicavit.

L V.

Edita autem semel Actio, & emendari, & mutari, non modo ante, sed etiam post litem contestatam, in eodem Iudicio, potest, ex nova Zenonis constitutione,

L VI.

Præter Actionem de qua adhuc disputavimus, cogitur & Instrumenta sua, atq; Rationes Actor Reo edere, etiam ante Litis Contestationem.

L VII.

Videntur enim esse duæ Instrumentorum Editiones, quarum una fiat Reo, ferè ante litem cōtestatam, & exemplis, sine die & Consule: Altera fiat Iudici, post Litem Contestatam non exemplis, sed Authenticis, cum die & Consule.

L VIII.

Convenit autem & AEQUITATI & IURIS rationi, ut Reus quidem ad se instruendum, ea sibi edi postulet: non vero ut Actor a Reo idem petat, non enim oportet originem petitio- nis, ex Instrumentis ejus, qui convenit, fundari.

L IX.

Ex causa tamen & Actori hæc Editio fieri debet, ut si sua ipse Instrumenta, casu fortuito, incendio, naufragio, bello ami- ferit.

Argen-

L X.

Argentarij quoq; eorumq; heredes, & Nummularij, ijs ad quos res pertinet, postulantibus, & jurantibus, non calumniæ causa petere, Rationes cum die & Consule à Prætore edere compelluntur, proposita Actione in factum, in id quod inter est, non ut totus Codex Rationum, sed ea sola pars, quæ ad instruendum aliquem pertineat, inspiciatur & describatur.

L XI.

Quod idem ad Mercatorum Codices quidam porrigit: quorū interpretatio à Fulgosio, aliisq; doctis viris merito improbatur.

L XII.

Plane feneratores à Clemente Pontif. Rom. jubentur & Actori suas Rationes edere.

L XIII.

Fisci notum est Privilegium, ut ipsi agenti, is unde peti- tur, in causa civili, edere suas rationes teneatur.

L XIV.

Edenda autem sunt omnia, quæ quis apud Iudicem editurus est: alia, quibus usurus non est, non compellitur edere: verba quoq; Testamenti, si Legatū petatur, non jubentur edi.

L XV.

Acta publica, tam civilia, quam criminalia, non modo Reo, sed etiam Actori, & omnibus quorum interest, is apud quem res agitur, inspicienda exhiberi jubebit.

L XVI.

Eorum fides inter omnes, & non inter eos modò, inter quos sunt facta, valere debet.

## P A R E R G A.

I.

POSSE Vasallum Feudum invito Domino refutare, sive feudum certorum servitorum Legem, & obligationem adnexam habeat, sive non.

II.

Domi ejus qui promisit Vasallo, se illo mortuo sine li- beris, ejus fratrem investitum, heredem ex ea promissione non teneri.

F I N I S.